Quelle: https://manuscripta.at/?ID=383
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Orat pro nobis ut sacerdos noster; orat in nobis ut
caput nostrum; oratur a nobis ut deus noster. Agnoscamus
ergo et in illo voces nostras, et voces eius in nobis. Neque
cum aliquid dicitur de domino Iesu Christo, maxime in
prophetia, quod pertineat velut ad quandam humi
litatem indignam deo, dubitemus eam illi tribue
re, qui non dubitavit se nobis adiungere. Sibi quip
pe servit universa creatura, quia per ipsum facta
est universa creatura. Et propterea cum eius sublimi
tatem divinitatemque intuemur, quando audimus: In
principio erat verbum, et verbum erat apud deum,
et deus erat verbum; hoc erat in principio apud
deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est ni
chil; intuentes hanc excelsam et super eminentissi
mam et excedentem omnia creaturae filii dei, audi
mus etiam in aliqua parte scripturarum velut gemen
tem, orantem, confitentem, et dubitamus ei tribuere ver
ba hec, ex eo quod cogitatio nostra de recenti eius con
templatione que erat in divinitate pigrescit
descendere ad eius humilitatem, et tamquam faciat
illi iniuriam si eius verba in homine agnoscat ad
quem verba dirigebat cum deum deprecaretur, heret ple
rumque et conatur mutare sententiam, et non ei occur
rit in scriptura nisi quod ad ipsum recurrat et ab il
lo deviare non sinat. Expergiscatur ergo et evigi
let in fide sua, et videat quia ille quem contem
plabatur paulo ante in forma dei, formam servi ac
cepit, in similitudine hominum factus, et habitu
inventus ut homo. Humiliavit se, factus obe
diens usque ad mortem. Et verba psalmi voluit esse
sua in cruce pendens, et dicens: Deus meus, deus meus, ut
quid me dereliquisti? Oratur ergo in forma dei, o
rat in forma servi. Ibi creator, hic creatus. Crea
turam mutandam non mutatus assumens, et se
cum nos faciens unum hominem caput et corpus. Ora
mus ergo ad illum, per illum, in illo, et dicimus cum illo, et di
cit nobiscum. Cum dicimus in illo, dicit in nobis psal
mi huius orationem, qui titulatur oratio david, quia
dominus noster secundum carnem filius david, secundum vero divini
tatem dominus david et creator david. Et non solum
ante david, sed ante abraham ex quo david, sed et
ante adam ex quo omnes homines, sed et ante celum et
terram in qua omnis creatura est. Nemo ergo cum audit
hec verba dicat: non christus dicit; aut rursus di
cat: non ego dico. Immo si se in christi corpore ag
noscit, utrumque dicat: et christus dicit, et ego dico. No
li aliquid dicere sine illo, et non dicit aliquid si
ne te. Nonne habemus in evangelio ubi certe scrip
tum est: In principio erat verbum, et verbum erat apud
deum, et deus erat verbum, et omnia per ipsum facta sunt.
Ibi certe habemus et contristatus est Iesus, et fatiga
tus est Iesus, et dormivit Iesus, et esuriit et sitiit
Iesus, et oravit et pernoctavit in orando Iesus. Per
noctabat inquit Iesus et prestabat in orando, et
globi sanguinis decurrebant per corpus eius. Quid
ostendebat quando per corpus orantis globi sangui
nis distillabant, nisi quia corpus eius quod est ecclesia
martyrum sanguine iam fluebat?

INCLINA domine aurem tuam et exaudi me.
Ille ex forma servi dicit: tu serve in for
ma domini tui: inclina domine aurem tuam. Incli
nat aurem si tu non erigis cervicem. Humili
ato enim appropinquat; ab exaltato longe
descendit nisi quem ipse humiliatum exal
taverit. Inclinat ergo deus aurem suam ad nos. Ille e
nim sursum est, nos deorsum. Ille in altitudine,
nos in humilitate, sed non relicti. Ostendit enim
dilectionem suam in nobis. Si enim cum adhuc pec
catores essemus, christus pro nobis mortuus est. Vix e
nim inquit pro iusto quis moritur; nam pro bono for
sitan quis audeat mori. Dominus autem noster pro impi
is mortuus est. Neque merita nostra precesserant, propter qui
bus deus moreretur. Sed magis quia nulla erant me
rita, magna erat misericordia. Quam certa ergo quam fir
ma promissione servat iustis vitam suam, qui dona
vit iniustis mortem suam. Inclina domine aurem tuam
et exaudi me: quoniam egenus et inops ego sum. Er
go non inclinat aurem ad divitem; ad inopem et egenum
inclinat aurem, id est ad humilem et confitentem, ad
indigentem misericordia, non ad saturatum et extollentem